

Homelia IV. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.9va-15ra)

Omnes igitur generationes ab abraham usque ad dauid, generationes quatuordecim sunt. Et a dauid usque ad transmigracionem babylonis, generationes quatuordecim. Et a transmigracione babylonis usque ad christum, generationes quatuordecim.

In tres diuisit partes generationes uniuersas, monstrans quod neque urbanitatibus transmutatis, facti sunt meliores. Sed et a iudicibus et a regibus, et paucis principibus possessi, in eisdem erant malis, et neque presidibus, neque sacerdotibus, neque regibus eos gubernantibus habuerunt quid amplius in uirtutis rationem. Quare autem in media quidem parte tres transcurrit reges, in ultima autem duodecim ponens generationes, quatuordecim eas esse dixit. Primum quidem uobis relinquo querere. Neque enim omnia uobis soluere necesse est, ut non desides sitis. Secundum autem uobis dicemus. Michi enim hic uidetur, et tempus captiuitatis in ordine generationis ponere, et ipsum christum, undique copulans nobis ipsum. Rememorat autem et captiuitatis illius decenter, manifestans quod neque illic descendentes, facti sunt magis sobrii, ut omnifariam necessaria appareat eius presentia. Quid igitur marcus ait, non facit hoc, neque genealogizatur ihesum, sed succincte omnia loquitur? Michi uidetur, matheus quidem ante alios incepisse rem. Ideoque et genealogiam ponit cum certitudine, et ad ea quae festinant instat, marchus autem post illum, ideo ad uelocem uenit uiam, ceu quae iam dicta et manifesta facta erant, narrare temptans. Qualiter igitur lucas et genealogizatur, et per plures hoc facit? quasi matheo uiam primitus faciente, uoluit aliquid his quae dicta sunt docere amplius nos. Et quisque autem similiter didascalum imitatus est. Hic quidem paulum super flumina fluentem, ille autem petrum breuiloquio studentem. Et quid est utique quod incipiens matheus, non dixit quemadmodum prophetae, uisio quam uidi, et uerbum quod factum est ad me. Quoniam bonam mentem habentes, et ualde ei intendentes, scripsit. Etenim et quae facta erant miracula clamabat, et qui suscipiebant ualde erant fideles. In prophetis autem neque miracula erant tot eos predicantia, et multus pseudo prophetarum uigebat populus, quibus et magis intendebat iudeorum plebs, ideoque necessarius hic modus proemiorum erat apud eos. Si autem quinque et facta sunt signa, barbarorum gratia facta sunt, ut multi fierent proseliti, et in demonstrationem uirtutis dei. Si quando eos hostes capientes ut his qui apud eos erant diis fortibus existentibus, estimabant uicisse quemadmodum in egypto. Vnde et multus commixtus ascendit populus. Et post haec in babylonia, quae secundum caminum fuerunt, et somnia. Facta autem sunt et cum secundum seipsos erant signa in heremo, quemadmodum et in nobis. Etenim et in nobis cum ab errore exiebamus, multa signa monstrata sunt, postea autem steterunt reuerentia fidei ubique plantata. Si autem et postea facta sunt, pauca et rara fuerunt. Puta cum sol stetit a cursu, et rursus reuersus est retrorsum. Videbit autem aliquis hoc et in nobis factum. Etenim et in generatione nostra, in uiliano qui omnes in impietate uicit, multa et paradoxa, id est inopinabilia contigerunt. Etenim iudeis quod in ierosolimis erat templum restaurare temptantibus, ignis de fundamentis resiliens omnes prohibuit, et cum ad uasa sacra suam insaniam demonstraui, et erarii custos et patrus, et uniuocus illius simul a uermibus corrosus dirigit, hic autem scissus est medius. Et fontes autem deficere, hostiis illic factis, et simul cum ipso rege famem ciuitatibus aduenire, signum maximum erat. Consuetudo enim est deo talia facere, cum aucta fuerint mala, et hos quidem de se

Commented [CN1]: [fol.9vb]

Commented [ND2]: uel studio indigent add. super lin.

Commented [CN3]: [fol.10ra]

Commented [ND4]: tempore add. super lin.

Commented [ND5]: iulianus dictus add. super lin.

malignantes uiderit, illos autem contrarios et ualde sua tyrannide ebrios. Et tunc propriam demonstrat potentiam, quod et in persida fecit de iudeis. Quoniam quidem igitur non simpliciter neque ut contigit faciens in tres partes progenitores diuisit christi, manifestum ex his quae dicta sunt. Scrutare autem et unde incipit, et ubi finit. Abraham in dauid, a dauid in transmirationem babylonis, ab hac in ipsum christum. Etenim et incipiens, hos duos posuit deinceps, dauid et abraham. Et **recapitulans**, utrorumque meminit similiter. Etenim quod dixi, ad ipsos fuerant promissiones sacrae. Quid utique autem, ut transmirationis babyloniae meminit, non meminit et descensus aegypti? Quoniam illos quidem non adhuc timebant, de his autem tremebant adhuc. Et illud quidem antiquum erat, hoc autem recens et nouiter factum. Et illuc quidem non propter peccata deducti sunt, huc autem propter iniquitates abducti sunt. Si autem aliquis et nominum ipsorum interpretationes transmutare temptabit, multam inueniet et hinc contemplationem existentem, et multum ad nouum conferentem testamentum. Puta ab abraham, a iacob, a salomone, a zorobabel. Non enim simpliciter haec eis imposita erant nomina. Sed ut non uideamur multam longitudinem facientes turbare, haec relinquentes ab imminetia eamus. Dicens igitur progenitores uniuersos, et finiens in ioseph, non stetit usque ad hoc, sed apposuit ioseph uirum mariae, monstrans quod propter illam, et hunc in genealogia posuit. Deinde ut non audiens uirum mariae, communi estimes partum esse naturae lege, intende qualiter id corrigat inductione. Audisti ait uirum, audisti matrem, audisti nomen puero positum, ergo audi et modum generationis. Iesu christi autem generatio, ita erat. Qualem michi generationem dicis, dic michi, quamuis progenitores dixisti. Sed uolo et modum generationis dicere. Vides qualiter erexit auditorem? ut enim aliquid nouius dicturus, promittit et modum dicere. Et scrutare eorum quae dicta sunt consequentiam optimam. Neque enim confestim ad generationem uenit, sed rememorat primum nobis quotenus fuit ab abraham, quotenus a dauid, quotenus a transmiratione babylonis. Et studiosum per haec auditorem, inquisitionem immittit temporum, monstrans **quod hic est ille christus qui per prophetas predicatus est**. Cum enim numeraueris generationes, et discas ex tempore quod hic est ille, facile suscipies et miraculum quod circa **generationem** contigit. Quoniam enim magnum aliquid erat dicturus quod ex uirgine partus est, ante quam numeret quidem tempus obumbrat quod dictum est uirum mariae dicens. Magis autem et simul incidit, enarrationem ipsis generationis. Numerat autem et annos, rememorans auditori quod hic est ille quem patriarcha iacob deficientibus, iudaicis principibus, futurum esse dixit, quem propheta daniel post ebdomadas multas illas uenturum esse presonuit. Etsi uoluerit aliquis annos hos qui in ebdomadarum numero ab angelo dicti sunt danieli, et qui a fabricatione ciuitatis numerans descendere in eius generationem, uidebit hos illis consonantes. Qualiter igitur generatus est dic, desponsata matre eius maria. Non dixit uirgine sed simpliciter matre ut facile suscipiatur sermo. Ideo prius preparans putare auditorem, auditorum esse aliquid assuetorum, et retinens hoc, tunc stupefacit inopinabilis rei inductione dicens. Quoniam ante quam conuenirent ipsi, inuenta est in utero habens de spiritu sancto. Non dixit ante quam conducerent ipsa in domum sponsi. Etenim intus erat. Consuetudo enim multotiens ueteribus erat, in domo desponsatas habere, cum et nunc hoc factum uideat aliquis. Et generi autem loth, intus erant cum ipso. Intus igitur et ipsa cum ioseph erat. Et quare non ante desponsationem concoepit? ut quod dixi a principio, obumbretur quod factum est, et ut omnem perniciosam effugiat uirgo suspicionem. Quando enim qui zelotipiam passurus erat maximam omnium, uidetur non solum non traducens eam neque dehonoras, sed et suscipiens et curans post conceptionem, manifestum quod nisi aperte suasisset sibi ipsi, quod et spiritus erat operatione quod generatum erat, **non**

retinisset, et alia omnia ministrasset. Proprie autem ualde et inuenta est in utero habens, posuit, quod de inopinabilibus et preter spem omnem euenientibus et non excogitatis, dici assuetum est.

Commented [CN6]: [fol.10rb]

Commented [CN7]: [fol.10va]

Commented [ND8]: uel natiuitatem add. super lin.

Commented [CN9]: [fol.10vb]

Ne igitur ultra procedas, neque queras amplius aliquid his quae dicta sunt. Neque dicet qualiter spiritus operatus est hoc ex uirgine. Si enim natura operante impossibile est interpretari plasmationis modum, qualiter spiritu mirabiliter operante poterimus hoc dicere? ut igitur non molestes aeuangelistam, neque turbes continue haec interrogans, dicens eum spiritum qui operatus est miraculum, expediuit se. Nichil enim nosco ait amplius, quam quod ex spiritu factum est, quod generatum est. Verecundentur qui superiorem circumscrutantur generationem. Si enim hanc quae decem milia habet testes, et ante tot predicta fuit tempora, et apparuit et rimata fuit, nullus interpretari potest, quam relinquunt insaniae supereminentiam, qui ineffabilem illam circumscrutantur, et multum inuestigant? Neque enim gabriel neque matheus potuerunt aliquid amplius dicere, quam quod ex spiritu solum. Qualiter autem ex spiritu et quomodo nullus horum interpretatus est. Neque estimes totum didicisse, ex spiritu audiens. Etenim multa ignoramus adhuc, etsi hoc dicerimus. Puta, qualiter qui infinitus est, in matrice est, qualiter qui omnia continet, ut fetus fertur a muliere, qualiter parturit uirgo et manet uirgo, qualiter plasmavit michi spiritus templum illud, qualiter non omnem carnem a matre assumpsit, sed partem eius et auxit et formauit. Quoniam quidem enim a carne uirginis prouenit, manifestauit dicens. Quod enim in ipsa natum est. Et paulus. Natus ex muliere. Obstruens dicentes, quod uelud pro quendam tubulum processit christus. Si enim hoc esset, quae necessitas esset matricis? Si hoc esset, nichil commune habet ad nos, sed error quidam est, illa caro non masse nostrae. Qualiter igitur ex radice iesse, qualiter autem uirga, qualiter autem filius hominis, qualiter autem mater maria, qualiter autem de semine esse dauid, qualiter autem serui formam accepit, qualiter autem uerbum caro factum est, qualiter autem romanis ait paulus, ex quibus christus secundum carnem est, qui est in omnibus deus benedictus in saecula? Quoniam quidem igitur ex nobis et ex massa nostra, et matrice uirginali, manifestum ex his et ex aliis pluribus, qualiter autem non adhuc manifestum est. Non igitur neque tu quere sed suscipe quod reuelatum est, et non circumscrutare quod silentio traditum est. Ioseph autem uir eius iustus existens ait, et nolens eam exemplificare, uoluit occulte absoluer eam. Cum dixisset quod ex spiritu sancto est et sine concubitu, et aliunde approbat sermonem. Vt enim nullus dicat, unde hoc manifestum est, quis sciuit, quis audiuit tale aliquid umquam contingens, neque suspectum habeas discipulum ut gratificantem didascolo et haec fingentem, introducit ioseph per ea quae passus est ad fidem eorum quae dicta sunt conferentem. Ac si diceret per ea quae enuntiat. Si non credis michi et suspicaris meum testimonium, crede uiro. Ioseph enim ait uir eius iustus existens, iustum hic uirtuosum in omnibus dicit. Est quidem enim iusticia et auaritia non habere, est et uniuersalis uirtus. Et maxime in hoc iusticiae appellatione utitur scriptura. Vt enim dicit homo iustus, uerus, et rursus. Erant autem iusti utriusque. Iustus igitur existens, hoc est benignus et mitis, uoluit et occulte absoluer eam. Propterea dicit quod contigit ante cognitionem, ut non incredulus sis his quae post cognitionem facta sunt, quamuis non traductioni solum obnoxia erat quae talis erat, sed et puniri eam lex iubebat, sed ioseph non solum maius illud sed et minus concessit uerecundiam. Non solum enim non punire, sed neque traducere uolebat. Vides phylosophum uirum, et passione liberatum omnium maxima? Noscitis enim quam maximum est zelotipia, propter hoc et qui haec manifeste sciebat dixit. Plenus enim zelo furor uiri, non parcat in die iudicii, et durus ut infernum zelus. Et nos autem multos scimus animam eligentes amittere magis, quam in zelotipiae suspicionem incidere. Hic autem neque suspicio erat, uentris tumore arguente. Sed tamen ita erat a passione purus, ut nollet neque in paruissimis contristare uirginem. Quoniam enim retinere quidem eam intus iniquitatis esse estimabat, propalare autem et in iudicium ducere, morti tradere cogebat, nichil horum facit, sed supra legem iam uiuebat. Oportebat enim cum gratia iam aduenisset, multa esse signa excelsae urbanitatis. Quemadmodum enim sol, et nondum radios

Commented [CN10]: [fol.11ra]

Commented [ND11]: grata enarrantem add. super lin.

Commented [ND12]: michi add. super lin.

Commented [ND13]: uel remisit add. super lin.

Commented [CN14]: [fol.11rb]

Commented [ND15]: uel animus add. super lin.

monstrans, alonge lumine clarificat maiorem partem orbis terrarum, ita et christus cum proditurus esset a matrice illa, et ante quam exisset, orbem terrarum uniuersum clarificauit. Ideoque et ante pressuram, prophetae insultauerunt, et mulieres futura predixerunt, et iohannes cum nondum a uulua processisset, a matrice ipsa exultauit. Hinc et hic ioseph multam demonstrabat phylosophiam. Neque enim **reclamauit**, neque improperauit, sed prohicere temptauit solum. In **hoc** igitur rebus existentibus, et omnibus in angustia stantibus, aduenit angelus omnia soluens turbantia. Signum autem scrutari cur non ante dixit angelus, ante quam excogitasset hoc uir, sed cum in mentem deduxisset, tunc uenit. Haec enim eo ait cogitante, angelus uenit, quod et ipsum rursus aliam questionem habet. Etsi enim angelus non dixit, cur uirgo siluit audiens ab angelo, et sponsum uidens turbatum cur non soluit eius dubitationem? Cur igitur ante turbationem eius, angelus non dixit. Etenim necesse est, primum soluere primum. Quare igitur non dixit? ut non incredulus fiat, et paciatur idem quod zacharias. Rei enim quae uidetur, facilis est fides. Eius autem quae nondum principium accepit, non **similiter** facile suscipitur credulitas. Propterea non dixit a principio hoc angelus, et uirgo autem, eadem de causa siluit. Non enim estimabat credi a sponso, rem annuntians inopinabilem, sed et irritare magis, ut peccatum factum obumbrans. Si enim ipsa tantam gratiam susceptura, humanum quid patitur, et ait, qualiter erit hoc quoniam uirum non cognosco? Multo magis ille dubitasset utique, et maxime a muliere audiens in suspicionem deducta. Propterea uirgo quidem nichil ei dicit. Angelus autem tempore uocante assistit. Cur autem ait, non et in uirgine hoc fecit, et post conceptionem ei aeuelizatur? ut non in turbatione esset et angustia multa. Etenim decens erat si uerum nescisset, cogitare eam aliquod de seipsa inconueniens, et ad suffocationem uenire, et ad ense non ferentem uerecundiam. Etenim mirabilis erat uirgo, et monstrat eius uirtutem lucas dicens. Quoniam cum **amplexum** audiuit, non confestim seipsam effudit, neque suscepit quod dictum est, sed turbata est, querens qualis esset amplexus. Quae autem ita erat perscrutans a mente excessisset utique ob tristitiam, confusionem reputans et non estimans quaecumque dixerit persuasum iri alicui audientium quod non adulterium esset quod factum est. Vt igitur haec non fierent, uenit ante conceptionem angelus. Etenim oportebat extra turbationem esse, uulua illam quam omnium conditor ascendit, et omni liberam esse turbatione animam, quae digna facta est talium fieri ministra mysteriorum. Propterea uirgini quidem, ante conceptionem, ioseph autem in tempore pressurae loquitur, quod multi **imperfectorum** non cognoscentes, dissonantiam dixerunt esse. Quia lucas quidem dicit quod maria aeuelizabat, matheus autem quod ioseph, nescientes quoniam utraque facta sunt, quod necesse est in omni hac **hystoria** obseruare. Etenim multas ita soluemus estimatas esse dissonantias. Venit itaque angelus turbato iam ioseph. Etenim et propter ea quae dicta sunt et ut appareat eius philosophia, differt sui presentiam. Cum autem **opus** debebat compleri, aduenit igitur. Haec autem eo cogitante, angelus in somnio apparet ioseph. Vides hominis mansuetudinem, non solum quia non puniuit sed quia neque enarrauit alicui, neque ipsi quae in suspicionem erat, sed secundum seipsum cogitabat, et ipsi uirgini studens occultare causam. Neque enim dixit expellere eam uoluit sed absoluere, tantum erat mansuetus et mitis hic uir. Haec autem eo cogitante, in somnio apparuit angelus ioseph. Et propter quid non manifeste quemadmodum pastoribus et zachariae et uirgini? Valde fidelis erat uir, et non indigebat uisione hac. Virgo quidem enim quasi multum magnum **aeuelizata**, et maius quam zacharias et ante rem indigebat et paradoxa id est inopinabili uisione. Pastores autem **quasi** rusticius dispositi, hic autem post conceptionem, anima iam a pernicioosa suspicione assumpta, et parata existente ad optimam spem transponi, si appareret aliquis qui ad hoc dirigeret, confestim suscipit reuelationem. Ideoque post suspicionem aeuelizatur, ut hoc ipsum fiat ei eorum quae dicuntur demonstratio. Haec enim audire angelo dicente cum ipse nulli enuntiauerit,

Commented [ND16]: interpellauit *add. super lin.*

Commented [ND17]: uel ita *add. super lin.*

Commented [CN18]: [fol.11va]

Commented [ND19]: uel salutationem *add. super lin.*

Commented [ND20]: idyotarum *add. super lin.*

Commented [CN21]: [fol.11vb]

Commented [ND22]: suspicionis *add. super lin.*

Commented [ND23]: docenda *add. super lin.*

Commented [ND24]: indigebant *add. super lin.*

sed in mente excogitasset, indubitabile ei tribuebat signum, quod a deo missus est. Ipsius enim solius est ineffabilia cordis scire. Vide itaque quot efficiuntur, et uiri philosophia demonstratur, et ad fidem ei confert quod oportune dictum est, et sermo insuspiciabilis efficitur, monstrans quod passus est, quae decens erat pati uirum. Qualiter igitur ei fidem affert angelus? Audi et mirare sapientiam eorum quae dicta sunt. Veniens enim ait. Ioseph fili dauid ne timeas accipere mariam mulierem tuam. Confestim ei rememorat dauid, unde christus futurus erat. Et non dimittit eum perturbari. Per progenitorum denominationem, repromissionis quae ad totum genus facta erat rememorans. Quoniam qua de causa filium dauid eum uocauit, ne timeas, quamuis alio deus non ita facit. Sed consiliante aliquo de muliere quod non oportebat, cum stupefactione et minis, sermone utitur. Et profecto illic res, illa ignorantiae erat. Neque enim sciens assumpsit sarram ille, sed tamen stupefecit eum. Hic autem mansuete. Multa enim magnitudo eorum quae dispensabantur erat, et medius alterutrius uiri multum erat, ideoque neque stupefecit, ut oportet. Dicens autem ne timeas, monstrat eum iam timentem. Ne offendas deum ut adulteram habens, quia nisi hoc esset, neque cogitasset expellere. Per omnia itaque monstrat quod a deo hic angelus uenit, et quaecunq̄ cogitauit et quaecunq̄ passus est secundum mentem, haec in medium proferens et apponens. Dicens autem eius nomen, non stetit usque ad hoc, sed et intulit mulierem tuam. Non utique ita uocasset, si corrupta esset. Mulierem autem hic sponsam dicit, quemadmodum igitur et generos assueuit scriptura dicere, et ante nuptias sponso. Quid autem est assumere, intus retinere. Iam enim eius mente absoluta erat, sed absolutam ait, quam tradit tibi deus, non parentes. Tradit autem per uocem meam, quemadmodum igitur et ipsam christus postea tradidit discipulo, ita et nunc ioseph. Deinde et rem omnem enigmatice pandens, perniciosam quidem suspicionem non dixit. Honestius autem et decentius pressure causa, et illam destruxit, monstrans quod propter quod timuit et expellere uolebat, propter id ipsum et suscipere et retinere intus utique esset iustum, ex superhabundantia soluens agoniam. Non enim solum ab iniqua ait eruta est mixtione, sed et super naturam concoepit. Non igitur timorem abstrahas solum, sed et letare multum, quod enim in ipsa generatum est, ex spiritu sancto est. Paradoxum est quod dictum est. Superexcedens humanam cogitationem, et supra nature legem existens. Qualiter igitur erit ut credat qui harum inexpers est narrationum uir? a preteritorum ait reuelatione. Propter hoc enim omnia quae in mente erant reuelauit, quaecunq̄ passus est, quaecunq̄ timuit, quaecunq̄ facere uoluit, ut ex illis et hoc credere faciat. Magis autem non a preteritis solum, sed et a futuris ipsum inducit. Pariet enim ait filium, et uocabis nomen eius ihesum. Non enim quia ex spiritu sancto est estimes alienum te a ministratione esse quae secundum dispensationem est. Etsi enim in generationem nichil confers sed intacta permansit uirgo quod tamen est patris proprium, non nocens uirginitatis dignitati, hoc tibi do nomen imponere ei qui natus est. Tu enim eum uocabis. Etsi enim non tuus est foetus, sed quae patris sunt demonstrabis circa ipsum. Propter hoc te et a nominis positione, confestim familiarem facio ei qui natus est. Deinde ut non rursus ex hoc patrem aliquis eum suspicetur, audi quae deinceps sunt qualiter cum certitudine ponit. Pariet enim ait filium, non dixit pariet tibi. Ideo suspensum id posuit. Non enim ei peperit, sed orbi terrarum uniuerso. Ideoque nomen ex caelis uenit ferens angelus, et hinc monstrans mirabilem existentem foetum, quia deus est qui denominationem desuper mittit per angelum ioseph. Neque enim hoc simplex fuit, sed infinitorum bonorum thesaurus. Ideoque interpretatur illud angelus, bonam substituens spem, et hac ad fidem eum inducens. Ad talia enim facilius reperere consueuimus. Ideoque et magis eis credere concupiscimus. Ab omnibus itaque constituens fidem, a preteritis, a futuris, a presentibus, ab eo qui ad ipsum est honore, introducit, et prophetam oportune his omnibus calculatum. Ante quam autem ipsum inducat, dona quae per ipsum orbi terrarum uentura erant predicat. Quae autem haec

Commented [ND25]: uel cognationes add. super lin.

Commented [CN26]: [fol.12ra]

Commented [ND27]: si hoc non est add. super lin.

Commented [ND28]: mariam add. super lin.

Commented [ND29]: acquiescere add. super lin.

Commented [CN30]: [fol.12rb]

Commented [ND31]: signatum add. super lin.

Commented [CN32]: [fol.12va]

erant? Peccatorum ablatio et destructio. Ipse enim saluabit ait, populum suum a peccatis eorum. Et hic quod inopinabile est demonstratur. Non enim preliorum sensibilibus, neque barbarorum, sed quod multum maius est, peccatorum liberatio aeuangelizatur, quod nulli umquam anteriorum fuit possibile. Et cur ait populum suum dixit, et non et gentes apposuit? ut non conturbet auditorem. Ei enim qui subtiliter intendit, et gentes significauit. Populus enim eius non iudei solum, sed et omnes aduenientes qui suscipiunt eius cognitionem. Intende autem qualiter eius et dignitatem nobis aperuit, populum suum uocans iudaicum. Hoc enim nichil aliud ostendit, quam quod dei puer est qui natus est. Et de superiori rege sermo est ei. Neque enim peccata dimittere alterius est uirtutis, quam substantiae illius solius.

Commented [ND33]: diuine scilicet *add. super lin.*

Quoniam igitur tantam accipimus largitionem, omnia faciamus ut non tantorum benefactorem iniuriemur. Si enim et ante honorem hunc digna supplicio quae efficiebantur erant, multo magis post ineffabile hoc beneficium. Et haec non simpliciter dico nunc, sed quoniam multos indoctos uideo post baptismum segnius incedentes, et nullam habentes propriam cognitionem urbanitatis. Propterea non in foro, non in ecclesia possibile est uelociter scire, quis quidem fidelis, quis autem est infidelis, nisi si quis secundum tempus assistet mysteriorum, et uiderit hos quidem expulsos, illos autem intus morantes. Oporteret autem non a loco sed a modo cognosci. Exteriores enim quidem dignitates, decenter ab exterius circumiacentibus coniecturis sunt manifestae. Quae nostra autem sunt, ab anima esse cognita oportet. Fidelem enim, non a sacris muneribus oportet apparere solum, sed et a uita noua. Fidelem **luminare** oportet esse mundi, et sal. Quando autem neque tibi ipsi appares, neque propriam saniem constringis, unde te ergo cognoscemus? quoniam aquis superascendisti sacris. Sed hoc tibi supplicii semita efficitur. Honoris enim magnitudo, his qui non digne secundum honorem uiuere eligunt, aditamentum pena est. Fidelem enim non ab his quae accoeperit adeo solum, sed et ab his quae ipse intulit, fulgere iustum est, et undique esse cognitum, et ab incesione, et ab inspectione, et a forma, et a uoce. Haec autem dixi, non ut ad ostentationem, sed ad utilitatem uidentium nosmetipsos instruamus. Nunc autem undecunque quero te cognoscere, undique te a contrariis inuenio apparentem. Siue enim a loco uolueris te cognoscere, in hippodromiis et theatris, et iniquitatibus uideo te semper morantem, in perniciosis conuentibus fori, in conciliis hominum corruptorum. Siue a figura uisus ridentem te uideo et dissolutum, siue a uestimentis, in nullo ab his qui in scena uideo differentem, siue ab his quae insequuntur, dapiferos circumfers et blanditores. Siue a uerbis, nichil sanum neque necessarium, neque continens nostram uitam, audio loquentem, siue a mensa, maior hinc accusatio apparet. Vnde igitur dic michi potero te cognoscere fidelem, predictis omnibus contraria calculantibus? Et quid dico fidelem? Neque enim si homo es, manifeste possum addiscere. Cum enim calcitres quidem ut asinus, saltes autem ut taurus, fremas autem in mulieribus, ut aequus, et castrimargiam patiaris, quidem uelut ursa, impingues autem carnem uelut mulus, rememorararis autem mali ceu camelus, et rapias quidem ut lupo, irascaris autem ut serpens, percutias autem ut scorpio, dolosus autem sis ut uulpes, uenenum autem maliciae obserues uelut aspis et uipera, prelieris autem aduersus fratres quemadmodum perniciosus **demon ille**, qualiter potero te cum hominibus numerare, non uidentem in te talis naturae characteres? Kathecumini enim et fidelis differentiam querens, periclitor neque hominis et fere inuenire differentiam. Quid enim te dicam? Feram? Sed fere ab una harum **minorationum** retinentur. Tu autem simul deferens omnes, alonge ab illorum irrationalitate incedis. Sed demonem te dicam? Sed demon neque uentris seruit tyrannidi, non pecunias concupiscit. Cum igitur et feris et demonibus minorationes plures habeas, qualiter te hominem uocabimus dic michi. Si autem hominem te non est dicere, qualiter te dicemus fidelem? Et quod utique deterius

Commented [ND34]: Morale quartum, quoniam oportet fidelem, et uitam habere rectam *notum in marg.*

Commented [CN35]: [fol.12vb]

Commented [CN36]: [fol.13ra]

Commented [ND37]: malitiarum *add. super lin.*

est, quia ita male dispositi, neque intelligimus animae nostrae deformitatem, neque addiscimus eius turpitudinem, sed in loco quidem tonsorio sedens et comam incidens, et speculum assumens, circumspicis cum certitudine capillorum compositionem, et assistentes interrogas, et tonsorem ipsum, si bene quae ad frontem sunt, composuit, et senex existens multociens, non uerecundaris iuuenilibus imaginibus immorans, animam autem nostram non informem solum, sed et ferarum formam et scyllae cuiusdam uel chimere secundum fabulas accipientem, neque parum sentimus. Et profecto et hic speculum est spirituale, et multo melius illo et utilius. Neque enim monstrat deformitatem solum, sed et transponit eam ad pulcritudinem ineffabilem si uoluerimus. Hoc autem est bonorum uirorum memoria, et beatae uitae ipsorum historia, et scripturarum lectio, et quae a deo date sunt leges. Etsi uolueris semel solum inspicere ad sanctorum illorum imagines, et turpitudinem uidebis mentis tuae, et uidens nullo indigebis alio, in liberationem sordis huius. Etenim in hoc utile est nobis speculum, et facilem facit transpositionem. Nullus igitur in irrationabilium maneat forma. Si enim seruus in domum patris non intrat, cum **et fera efficeris** qualiter poteris his quae ante portam illam sunt superuenire. Et quid dico fera? Fera quidem omni deterior est, qui talis est. Ille quidem enim quamuis secundum naturam sint siluestres, humanam cum assumpserint artem, multociens mansuetae factae sunt. Tu autem qui illorum secundum naturam feritatem, in preter naturam mansuetudinem transmutasti, quam habebis apologiam, id est responsonem, tuam secundum naturam mansuetudinem feritate expellens, et quod quidem siluestre natura est, faciens mansuetum, teipsum autem natura mansuetum, preter naturam siluestrem constituis. Et leonem quidem domesticum et mansuetum faciens, furorem autem tuum leone siluestriore construens, quamuis duo illic sint impedimenta, et mente priuatam esse feram, et omnibus esse ferociorem. Sed tamen superhabundantia a deo date tibi sapientiae, et nature dominaris. Qui igitur in feris et naturam uincis, qualiter in teipso et naturam et **electionis** bonum tradis. Et siquidem alium iuberem hominem facere mansuetum, neque ita quidem impossibilia utique uiderer iniungere. Verumtamen posses occasionem habere, quod non dominus es mentis alterius, neque in te est eius consilium. Nunc autem **tui ipsius est fera**, et cuius omnino dominus es. Quam igitur habes apologiam, qualem autem occasionem probabilem premittere poteris? Leonem quidem faciens hominem, teipsum autem despiciens ex homine factum leonem. Et illi quidem quae super naturam sunt largiens, tibi ipsi autem, neque quae secundum naturam sunt obseruans? Sed siluestres quidem feras ad nostram studemus reducere nobilitatem, te ipsum a throno **regali** euertens, et in insaniam illorum impellens. Estima enim si uis et furorem feram esse, et quantum circa leones alii, tantum et tu circa teipsum demonstra studium, et fac domesticam et mansuetam esse tuam hanc talem mentem. Etenim haec difficiles dentes et unguulas habet, etsi non mansuetam facies eam, omnino peribis. Neque enim ita leo et uipera uiscera rescindere potest, ut furor ferreis unguulis **semper** hoc faciens. Non enim utique corpori nocet solum, sed et ipsam animae corrumpit sanitatem, deuorans, scindens, incidens, uirtutem uniuersam, et inutilem ad omnia faciens. Si enim uermes aliquis in intestinis nutriens, neque respirare poterit, omnibus interioribus ei consumptis, qualiter serpentem nos tam magnum habentes, deuorantem omnia interiora, furorem dico aliquod poterimus nobile parere? Qualiter igitur ab hac liberabimur iactura? si biberimus potum mortificare potentem interiores uermes et serpentes. Et qualis utique erit potus ait qui uirtutem hanc habet? Honorabilis sanguis christi, si cum bona uoluntate sumetur. Omnem enim egritudinem extinguere poterit hic. Et cum hoc diuinarum scripturarum intenta audientia et helemosina. Per haec igitur omnia poterunt mortificari nocentes animae nostrae passiones. Et tunc uiuemus solum. Quia nunc mortuis nequaquam melius dispositi sumus. Quoniam non est uiuentibus illis et nos uiuere, sed necesse nos perire, etsi non **preoccupauerimus** eas interficere hic, illic omnino nos interficient. Magis

Commented [CN38]: [fol.13rb]

Commented [ND39]: uel consilii add. super lin.

Commented [ND40]: uel tu ipse es add. super lin.

Commented [ND41]: mansuetudinis add. super lin.

Commented [CN42]: [fol.13va]

Commented [ND43]: uel preuenerimus add. super lin.

autem et ante illam mortem, ultimam nos et hic expetent uindictam. Etenim unaqueque talium passionum et acerba est et tyrannica et insatiabilis, et per singulos dies deuorans nequaquam stat. Dentes enim leonis sunt dentes earum, magis autem et multo difficiliore. Leo enim simul saturatus est, et destitit a corpore cadente coram eo. Haeae autem passiones neque implentur neque desistunt donec prope diabolus statuerint errantem hominem. Tanta enim earum est uirtus, ut seruitutem quam paulus circa christum demonstrabat, et gehennam et regnum per ipsum contempnent, eandem et ab errantibus expetant. Siue enim incorporum concupiscentiam, siue pecuniarum, siue gloriae inciderit aliquis, et gehennam deridet, et regnum contempnit, ut uoluntatem earum operetur. Ne igitur increduli simus paulo dicenti, quod christum ita dilexit. Cum enim inueniuntur quidam passionibus ita seruientes qualiter incredibile illud esse uidebitur? Etenim propterea qui circa christum est amor imbecillior est? quoniam omnis nostra uirtus in hoc consumitur desiderium, et rapimus, et auari sumus, et gloriae seruimus inani. Qua quid fiet utique uilius? Etsi enim milies efficiaris clarissimus, nullo ignobilibus eris melior. Sed propter hoc ipsum quidem, et ignobilior es. Cum enim hii qui uolunt te glorificare et clarum monstrare, propter hoc ipsum te derident, quod eam quae ab ipsis est gloriam concupiscis, qualiter non hoc tuum mutauit studium? Si enim glorificari uis, contempne gloriam, et omnibus eris clarior. Quid pateris id quod passus est nabuchodonosor? Etenim ille imaginem statuit de ligno. Per insensibilem formam additamentum existimans habere laudationis. Et qui uiuebat ab eo quod non uiuebat clarior uolebat apparere. Vidisti insaniae superhabundantiam? Existimans enim seipsum honorare, magis sibi conuictus est. Cum enim appareat in inanimato magis confidens quam in seipso, et quam in anima quae uiuebat in seipso, et propter hoc lignum in tantam ducit preminentiam, qualiter non erit derisione dignus? Non a moribus sed a tabulis decorari studens. Quemadmodum si quis propter fundamentum quod in domo optimum est, et propter scalam ibidem bonam existentem, dignum esse existimet se, magis quam propterea quia est homo, glorificari. Hunc et multi qui in nobis sunt, nunc imitantur. Sicut enim ille ab imagine, ita et a uestimentis alii, et a domo, et mulabus, et equitaturis, et a columpnis quae sunt in domibus, dignum esse existimant in admiratione esse. Quia enim hoc id est homines esse perdidit, circumeunt colligentes sibi ipsi aliunde, multa derisione plenam gloriam. Sed non fortes et magni dei ministri hinc, sed ab his a quibus maxime oportebat effulserunt. Etenim captiui, et serui, et iuuenes, et peregrini, et ab omnibus quae ex se sunt existentes deserti, eo qui his omnibus circumamiciebatur, luculentiores multo tunc apparuerunt. Et regi nabuchodonosor quidem, non imago tanta, non satrapae, non magistratus, non exercitus infiniti, non auri multitudo, non alia fantasia ad suam concupiscentiam suffecit, et ad eum magnum ostendendum. His uero pueris ab his omnibus denudatis, suffecit phylosophia sola, et eo qui diadema et purpuram habebat, et talibus circumamiciebatur, eos qui nichil horum possidebant, clariores apparere fecit, tantum quantum sol est gurgite clarior. Etenim in medio orbis terrarum uniuersi ducebantur, uiuere existentes, et captiui, et serui. Et apparentibus eis, confestim rex ignem per oculos emittebat. Et magistratus et presides, et locorum defensores, et uniuersum diaboli spectaculum circumstabant. Et uox fistularum undique et bucinarum, et omnis musicae ad coelum delatae, circumsonabant in aures illorum. Et caminus ardebat, in infinitam altitudinem extensus. Et eorum flamma nubes tangebatur, et omnia timore et horrore plena erant, sed illos nichil terruit horum, sed uelut pueros ludentes, deridentes eos chaldeos, fortitudinem et phylosophiam ostendunt. Et tubarum illarum clariorem emittentes uocem, dicebant. Notum sit tibi rex. Neque enim usque ad uerba conuictiari uolebant tyrannum, sed pietate demonstrare solum. Idcirco neque longos extendebant sermones, sed in breui omnia demonstrant. Est enim deus ait in coelo, potens eripere nos. Quid michi multitudinem ostendis, quid michi caminum, quid michi gladios acutos,

Commented [ND44]: feminarum add. super lin.

Commented [ND45]: passionum add. super lin.

Commented [CN46]: [fol.13vb]

Commented [ND47]: pueri add. super lin.

Commented [CN48]: [fol.14ra]

Commented [ND49]: hii tres add. super lin.

quid terribiles armigeros? Omnibus his superior, et **potentior** est noster dominator. Deinde excogitantes quoniam contingit deum uelle et concedere eos comburi, ut non hoc effecto uideantur mendacium dicere, adiciunt et hoc dicentes, quoniam etsi non hoc fiat eripi, cognitum sit tibi, quoniam deos tuos non colamus. Si enim dixissent quoniam propter peccata nostra non eruet nos, etsi non eruerit non colam, non creditum hoc fuisset eis. Propter hoc hic quidem hoc silent. Dicunt autem id in camino. Superius et inferius peccata **premittentes**. Coram rege uero, nichil tale aiunt. Sed aiunt quoniam etsi comburendi fuerint, pietatem non tradent. Non enim in remunerationibus et retributionibus agebant quae agebant, sed ex caritate solum. Quamuis et in captiuitate erant et in seruitute, et nulla potiti benignitate. Etenim et a patria, et libertate, et ab omnibus qui extiterant eis exciderant. Ne enim michi eos quos in **regalibus** atriis inuenerunt honores, dicas. Sancti enim existentes et iusti decemmilies utique elegissent mendicari **domi**, et eis quae in templo erant bonis potiri. Eligi enim ait abiectus esse in domo dei, magis quam habitare me in tabernaculis peccatorum, et potior dies una in atriis tuis super mille, decemmilies utique elegissent abiecti esse domi, quam regnare in babylonia. Et hoc manifestum est ex his quae et in camino ostendunt grauati de ea quae ibidem erat conuersatione. Etsi enim ipsi multo potiebantur honore, aliorum uidentes calamitates, ualde mordebantur, quod maxime est sanctorum proprium, non gloriam, non honorem, nichil aliud proponere proximi saluti. Vide nimirum qualiter in camino existentes, pro plebe uniuersa supplicationem faciebant. Nos autem neque in remissione, fratrum meminimus, sed et cum somnia inquirebant, non quae sua erant **intendebant**, sed quae multorum. Quoniam enim mortem contempnebant per multa postea ostenderunt. Vbique autem seipsos premittunt, deum supplicare uolentes. Deinde quia neque seipsos sufficere estimant, ad patres refugiunt. Ipsi autem nichil plus preuenerunt offerre, quam spiritum contribulatum. Hos nempe, et nos zelemur. Etenim et nunc stat imago aurea, id est mammonae tyrannis. Sed ne attendamus tympana, neque organa, uel cymbala, neque reliquam diuitiarum fantasiam. Sed etsi in caminum incidere paupertatis oporteat, eligamus ut non adoremus illum, et erit ros in medio **mitigans**. Ne itaque horrescamus, inopiae caminum audientes. Etenim et tunc hi quidem incidentes in caminum, demonstrati sunt clariores. Qui uero adorauerunt, **interfecti sunt**, sed tunc quidem, simul omnia **facta sunt**, nunc autem, haec quidem hic erunt, illa uero, et hic et in futura die. Qui autem pro non adorando mammonam inopiam elegerunt, et hic et tunc erunt clariores. Qui autem iniuste hic ditantur, ultimam dabant uindictam. Ab hac et lazarus camino exiuit, puerorum illorum non minus clarus. Diues autem in ordine eorum qui adorauerunt imaginem existens, in gehenna condempnabatur. Etenim quae dicta sunt, typus illorum sunt. Quemadmodum igitur hic, qui inciderunt quidem, nichil passi sunt, qui autem foris sedebant cum multa rapti sunt uehementia, ita et tunc erit. Sancti quidem per fluum ignis ambulantes, nichil triste patientur, sed et clari apparebunt. Qui autem imaginem adorauerunt, uidebunt ignem in se fera omni difficiliter insipientem, et intus eos attrahentem. Quare si quis gehennam non credit hunc **uidens** caminum, a presentibus et futura credat, et non timeat inopiae caminum, sed peccati caminum. Hoc enim flamma est et dolor, illud autem ros et remissio. Et illi quidem camino assistit diabolus, huic autem angeli concucientes flammam. Haec audiant diuites, qui inopiae caminum accendunt. Illis enim nocebit, ros adueniens istis. Seipsos autem facile a flamma captos operabuntur, quam propriis accenderunt manibus. Tunc igitur angelus ad illos condescendit pueros, nunc autem nos ad eos qui in camino paupertatis sunt condescendamus, et per elemosinam rorem operemur et flammam excutiamus, ut et coronis eorum communicemus, ut et flammam gehennae uox christi dispergat, quae dicit, esurientem me uidistis, et cibastis. Haec enim uox tunc pro rore aderit nobis, per mediam flammam **mitigans**. Descendamus cum elemosina, ab paupertatis caminum. Videamus eos qui ambulant in ea, et

Commented [CN50]: [fol.14rb]

Commented [ND51]: uel causantes add. super lin.

Commented [ND52]: nabuchodonosor add. super lin.

Commented [ND53]: domini add. super lin.

Commented [CN54]: [fol.14va]

Commented [ND55]: uel perflans add. super lin.

Commented [ND56]: flamma foris stantes add. super lin.

Commented [ND57]: pueri saluati et hii combusti add. super lin.

Commented [CN58]: [fol.14vb]

Commented [ND59]: uel fouens add. super lin.

elatos collo conculcant. Videamus miraculum nouum, et paradoxum hominem in camino psallentem, hominem in igne gratias agentem, paupertati alligatum ultimae, et multam ferentem deo laudationem. Etenim pueris illis similes fiunt, qui paupertatem cum gratiarum actione ferunt. Etenim igne terribilius paupertas, incendere assueuit, sed pueros illos nequaquam incendit. Sed quia gratias egerunt dominatori, et uincula confestim eis dissoluta sunt, ita et nunc si incidens in paupertatem gratias egeris, et uincula dissoluuntur, et flamma extinguitur. Etsi non extincta fuerit, quod multo mirabilius est, pro flamma fons orietur. Quod et in philosophantibus est uidere, quoniam in paupertate diuitibus copiosius disponuntur, et in medio camino, rore puro pociuntur. Quod et tunc contigit. Ignem enim non extinxit, comburi autem eos qui immissi fuerant prohibuit. Ne igitur extra caminum sedeamus immisericorditer ad pauperes nos habentes, ut non paciamur quod tunc passi sunt illi. Si enim descenderis ad eos stabis cum pueris, et non ultra tibi aliquod malum ignis operabitur. Si autem sursum sedens eos in paupertatis flamma despexeris, comburet te flamma. Descende itaque in ignem, ut non comprimaris ab igne. Ne sedeas extra ignem, ut non te rapiat flamma. Si enim uiderit te cum pauperibus, desistet a te, si uero alienatum ab illis, curret super te uelociter et te rapiet. Ne itaque ab his in caminum immissis, desistas, sed cum diabolus iusserit eos qui non adorauerunt aurum mittere in caminum paupertatis, ne eorum qui immittunt, sed eorum qui mittuntur existas, ut eorum qui saluantur sis, et non eorum qui comburuntur. Etenim maximus est ros non detineri concupiscentia diuitiarum, et pauperibus loqui. Hii omnibus sunt uberiores, qui concupiscentiam diuitiarum conculcarunt, quia et illi tunc contempnentes regem facti sunt rege clariores. Et tu itaque si despexeris mundana negotia mundo omni eris honorabilior secundum sanctos illos, quibus non erat dignus mundus. Vt igitur dignus coelis efficiaris, deride presentia. Ita enim et hic eris clarior, et futuris pocieris bonis, in christo ihesu domino nostro, cui gloria in secula amen.

Commented [CN60]: [fol.15ra]

Commented [ND61]: submergaris add. super lin.